

VBBO FRISIVS MILES.



**V**Bbo magni nominis miles apud Frisios natus & educatus fuit. Is socijs alijs assumptis lutiæ fines crebra popularium strage uastauit, & magnam sibi autoritatem cōparauit. Huic Haraldus Daniæ rex cum exercitu obuiā progressus est. Verūm cum armis ipsum uulnerare nō posset, milites ad eum manibus capiendum hortatus est. qui eum tandem humili prostratum uinctum regi attulerūt. Itaq; rex eius fortitudinem admiratus eum socium asciuit, atq; suam sororem ei in matrimonium collocauit, anno 430. Inde tanti militis opera usus Frisios domuit, & arma sua ad Rhenū usq; protulit. Cum autem tandem Haraldus senex contra Ringonem

Sueonū regem arma mouisset, atq; uictus esset, etiam Vbbo fortiter pugnando occubuit. Verūm antequam ipse caderet uiginti quinq; delectorum pugilum interfecit, & undecim in acie uulnerauit. Itaq; Sueones cominus cum eo congregidi ueriti, spiculis eum procul confecerunt. Testatur Saxo Historicus quod is centum quadraginta quatuor sagittas aduerso corpore prius accepere rit, quam lapsis corporis uiribus solo poplitē daret. *Sax. Gram. Hist. Dan. li. 8.*